



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Succinctam Doctrinarum Asceticarum Svmمام Comprehendens - Quam ad majorem omnium in Ascesi proficere cupientium utilitatem ac subsidium

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1685

Reverendissimo & Amplissimo Præsvli, Domino, Domino Antonio Celeberrimi Collegij Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini in Reichersperg Præposito Dignissimo Et Vigilantissimo, Domino Meo ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48214](#)

**REVERENDISSIMO
&
AMPLISSIMO PRÆSVLI,
DOMINO, DOMINO
ANTONIO**

Celeberrimi Collegij Canonicorum
Regularium Ordinis S. AUGUSTINI
in Reichersberg

**P R A E P O S I T O
D I G N I S S I M O E T
V I G I L A N T I S S I M O ,
D O M I N O M E O G R A T I O S O .**

Exclamaverat quidem jam pridem
Sapientissimus ille, famaque No-
minis sui toti Orbi notissimus
Salomon; Mulierem fortem quis
inveniet? procul & de ultimis fi-
nibus pretium ejus: significare scilicet volens
(ut Interpretes explicant) quemadmodum gem-
mæ, uniones, aurum; aliæque res pretiosissimæ
non nisi ex peregrinis, longissimæque dissitis
Regionibus afferuntur, ita & Mulierem for-
tem, id est, strenuam & industriam tam rari-
e esse

E P I S T O L A

esse pretij, ut cum pretiosissimis gemmis & mar-
garitis comparari possit, & debeat. Verùm id-
ipsum potiori hodie jure de Ascetis ego dicere
posse video: Ascetam omnibus numeris abso-
lutum quis inveniet? procul & de ultimis fini-
bus pretium ejus. Si enim ad Ascetam talem
requiritur, ut omnium doctrinarum ad Ace-
sin pertinentium plenissimam, exactissimam
que habeat notitiam; notitięque tali ipsam
etiam cognitarum doctrinarum praxin lauda-
bilissimo connubio conjungat; atque adeò me-
ritò de illo perinde, ac de forti muliere dici
queat: *Gustavit, & vidit, quia bona est ne-
gotiatio ejus: quis nescit, rarissimum, ideoque
carissimum etiam Ascetarum talium pretium
esse?* Attamen utcunque rarus sit tanto-
rum virorum numerus, mihi tamen, dum
Patronum in hoc scientiæ genere versatissi-
mum, absolutissimumque Libello huic meo
Ascetico expetebam, non diu sanè inquiren-
dum fuerat, dum Tuæ mox, REVERENDISSI-
ME & AMPLISSIME PRÆSUL, Personæ Venerabi-
lissima Imago menti occurrit, notissimumque
illud Poëtæ encomium de Te occinuit:

*Hic vir, hic est, tibi quem laudari sèpius
audis.*

Et sanè si unquam publica fama fidem meruit,

in

DEDICATORIA.

in hoc de Te prolato judicio eam jure meritissimo sibi vendicavit. Testantur hoc sapientissimi simul, & sapidissimi Discursus, quos sive in publicis exedris, sive privatis Asceterij Tui Oratoriis cum raro Auditorum gusto formare haec tenus consuevisti. Testatur id ipsum numerosissimus Librorum Asceticorum apparatus, quo celeberrimi Tui Collegij Bibliothecam amplissimam, maximo quantumvis pretio, instruxisti. Testatur exactissima Cœnobij Disciplina, & Sollicitudo, quâ Religiosos Tibi subjectos ad vocationem suam plenissimè adimplendam, ipsamque adeò perfectionem singulari studio consecrandam ferventissimè incitas, & informas. Testatur honoratissimum Ordinariorum Diœcesanorum judicium, qui, cùm Collegiis aliis Duces Spirituales attribuere decrevissent, non alio magis, quam Tu ex Collegio assumendos censuerunt. Testatur denique laudatissimus, & constantissimus Vitæ Tuæ omni virtutum genere conspicuæ tenor, quo Domesticos pariter & Externos ædificare, instruere, recreare, & demereri Tibi hactenus solebas. Ut meritò hic unus Titulus præ reliquis me moverit, ad libellum hunc, qui brevem doctrinarum Asceticarum summam continet, Tuò præcipue Nomi, Honoriique consecran-

E P I S T O L A

dum; si enim peritissimi quique Artifices non
alios Operum suorum Censores optant, quam
quos in eadem Arte versatissimos esse cogno-
scunt, quidni & ego Opusculi hujus mei Asce-
tici quantumcumque exigui Te praे aliis Cen-
sorem & Patronum eligam, quem verum &
omnibus numeris absolutum Ascetam esse, tot
tantaque testimonia tam dilucide comprobâ-
runt.

Potuissem equidem & alios, nec minus ef-
ficaces titulos, quibus honorem talem mereba-
ris, allegare. Potuissem eximiam doctrinarum
Theologicarum, quas olim Ingolstadij sum-
mo cum plausu & approbatione audientium fe-
licissimè, doctissimèque propugnaveras, scien-
tiā prædicare. Potuissem raram Prudentiam,
quā commissum Tibi Collegium sapientissimè
simul & suavissimè moderaris, meritò com-
mendare. Potuissem singularem in conversan-
do suavitatem & efficaciam, quā omnium Tibi
Animos potentissimè devincire soles, collaudare.
Potuissem efficacissimam Tuam in Ser-
monibus ad Concionem habendis facundiam,
quam cum summa Auditorum admiratione,
plausuque aliquoties demonstraveras, extollere.
Potuissem denique insignem Oeconomicarum
Praxium peritiam, quam five ædifieia à Te or-
dinata-

DEDICATORIA.

dinatissimè , commodissimèque erecta : sive redditus Cœnobij grandibus incrementis adauerti : sive proventus in singulare Subditorum commodum , solatiūmque prudentissimè dispensati indicant , deprædicare , sed hæc omnia volens reticeo , quia unicam Tibi Ascesin , quā velut aptissimo instrumento uteris ad majorem DEI gloriam promovendam , Tuámque & Proximorum Salutem studiosissimè procurandam , in deliciis esse scio , non ignaro videlicet , quid hac in re sanctissimus & illuminatisimus Fundator tuus Augustinus in libro confess. dixerit : *Infelix homo , qui scit illa omnia (id est res creatas) te vero nescit : beatus vero , qui te scit , etiam si omnia illa nesciat : Qui vero te , & illa novit , non propter illa , sed propter te solum beatus est.*

Accipe ergo , PRÆSUL AMPLISSIME , qualcunque hoc Observantiæ erga Te mex obsequium , & vel ex tenui hoc argumento collige , quām ardenter desiderem , illustriori quopiam argumento , tenerrimo Tuo in Societatem nostram affectui , benevolentiaque respondere . Admitte libellum tenuem sub nullo magis , quām Tuo Patrocinio prodire gestientem , pateréque ut in inculcandis Asceticis doctrinis , quas ipse hactenus magno cum fructu , solatióque Reli-

EPISTOLA DEDICAT.

giosis Tuis tradere consueveras, Vicariam Tibi
gravioribus, publicisque negotio distracto ope-
ram præstet. Ita me & beabis unicè, & huma-
nitatis Tuæ tantopere deprædicatæ famam no-
vo, eoque illustri documento confirmabis. Ego
interea, ut DEUS ter Optimus Maximus RE-
VERENDISSIMAM & AMPLISSIMAM DOMINATIO-
NEM TUAM ad majus Divinæ suæ gloriae incre-
mentum, nec non uberrimum Collegij Tui e-
molumentum, solatiūmque quām diutissimē
salvam & incolarem conservare dignetur, ex
animo voveo, precōrque. Monachij 31. Julij
ipso Sanctissimi Patriarchæ nostri Ignatij festi-
vo die. 1685.

Rev.^{ma} & Amplissima

Dominationis Tuæ

Insimus in Christo Servus

TOBIAS LOHNER
S. J.